

est debita naturæ liberæ, nec etiam ut congrua, quia illa congruitas est consequens ex futura cooperatione liberi arbitrii, et Deus non poterat impedire illam secundum bonitatem suam; nec etiam poterat cogitationem illam negare secundum suam naturalem justitiam, quia est debita tali naturæ. Ergo nulla ratio gratiæ ibi intercedit; ergo tale meritum esse potest, et in eo casu esset ex pura natura.

9. *Credere juxta Augustinum, quid.*—Tertia principalis ratio contra illam sententiam est, quia admittit meritum initii fidei in nobis, quod nullo modo admittendum videtur, sive dicatur fundatum in natura, sive in gratia quadam ordinis naturalis; sive dicatur esse meritum de condigno, sive de congruo, sive perfectum, sive imperfectum; ergo. Major videtur plane concedi vel supponi in illa sententia; dicit enim eum, qui proxime non est vocatus ad fidem, vocari vel interius, vel etiam exterius, ex merito observandi legem naturalem cum sola congrua cogitatione. Vocatio autem proxima ad fidem est initium fidei, ut ex Concilio Tridentino et Arausiano in libro secundo late probavi. Nec dici potest quod cogitatio congrua naturalis ad faciendam elemosynam, vel ad aliquo modo naturali verum Deum, ut auctorem naturæ, colendum, sit vocatio ad fidem, vel initium fidei, quia initium fidei est aliquid per se pertinens ac necessarium ad ipsam fidem: quælibet autem alia cogitatio alterius moralis objecti seu operationis est valde extrinseca, et per accidens ad fidem. Unde Augustinus, libro de Prædestin. Sanctor., capite secundo, ad summum reducit initium fidei ad cogitationem credendorum: *Nam credere (inquit) est cum assertionem cogitare, quia nullus aut credere aut velle credere potest, nisi prius cogitet esse credendum, potest autem cogitare de credendis, et non credere.* Ante illam autem cogitationem aliud initium fidei non agnoscit, imo etiam maxime probat initium fidei non posse cadere sub meritum, quia illa cogitatio non potest sub meritum cadere. Unde etiam facile probatur altera propositio in argumento subsumpta, tale scilicet meritum non esse admittendum, quia plane repugnat Augustino, et non consonat Concilio Tridentino, capite quinto, sessione sexta, dicenti, *exordium salutis sumi a vocatione, qua nullis præexistentibus meritis excitamur, etc.*, de qua gratia subdit, capite septimo: *Fidem ex auditu concipientes, etc.*, et hoc ipsum multis testimoniis et rationibus in libro secundo

probavimus, et aliqua in sequenti capite adidemus. Propter hæc ergo non videtur per illum dicendi modum convenienter fieri satis difficultati propositæ, nec sufficienter vitari Semipelagianorum doctrina, præsertim cum illi non negarent cogitationem honestam naturalem, nec congruitatem ejus, et cum illa non transcendat rationem naturalis doctrinæ, magisque dici possit doctrina opportuna quam gratia congrua, quæ omnia in libro secundo latius prosecutus sum. Et ideo de hac sententia in præsentia hæc sufficiunt, quæ ad perfectam enodationem illius axiomatis: *Facienti quod in se est, necessaria visa fuerunt.*

CAPUT XV.

PROPOSITÆ DIFFICULTATI SATISFIT, ET AXIOMA PROPOSITUM IN VERO ET CATHOLICO SENSU EXPLICATUR.

1. *Decrevit Deus certa lege dare omnibus hominibus lapsis sufficiens auxilium credendi, et filios Dei fieri.—Lex quasi pactum quoddam inter Deum-Hominem et Patrem Æternum.*—Visis aliorum opinionibus, superest ut nonnullis assertionibus nostram declaremus, et juxta illam difficultati propositæ satisfaciamus. Primo ergo dicimus negari non posse quin Deus, certa lege ac voluntate, decreverit dare omnibus hominibus lapsis, propter Christum, sufficiens auxilium quo possint credere, et filii Dei fieri, et non peccare, sed legem divinam servare. Hæc assertio satis probatur ex dictis cap. 13, ubi ostendimus ita fieri, et hoc esse certum et infallibile, sine personarum distinctione; ergo fundatur in lege Dei, vel firma voluntate, quantum est ex parte ejus, quia non potest aliunde habere certitudinem et infallibilitatem. Quod autem hæc lex propter merita Christi statuta sit, manifestum est, quia totum hoc gratiæ auxilium sufficiens pertinet ad gratiam redemptionis; ergo propter Christum datur, et ideo gratia Dei, gratia Christi in Scriptura et Conciliis appellatur; ex quibus hæc assertio et lex non obscure colligitur. Hinc ergo recte dicitur legem hanc fuisse quasi pactum quoddam inter Christum Deum-Hominem et Æternum Patrem.

2. Nam Christus, ex præscripto ejusdem Patris, omnia sua merita obtulit, ab initio Incarnationis suæ, pro salute omnium hominum; ergo ut omnibus darentur auxilia sufficientia ad illam consequendam; ideo enim est universalis Redemptor omnium, quoad sufficien-

tiam: ergo Pater, acceptando meritum, promisit Christo dare hominibus tale auxilium. Quod etiam potest antecedenter explicari: nam Deus Pater Christo promisit dare omnibus hominibus remissionem peccatorum, et veram justitiam, quantum in se erat, si ipse pro eis satisfaceret, et justitiam mereretur. At Christus et accepit conditionem, et implevit, et inde firmata est lex dandi omnibus hominibus auxilia sufficientia ad salutem, quæ in adultis debent esse auxilia actualia, et in ipsis recepta, vel in eorum manu et potestate aliquo modo posita, ut supra probatum est; et ideo ibidem diximus quod licet, considerato humanæ naturæ lapsu, ante hoc pactum cum Christo et sine illo potuisset Deus, sine ulla infidelitate et injustitia, non dare, nec offerre hominibus auxilium sufficiens ad salutem, quia peccatum naturæ erat tota illa pœna dignum, et ante præordinata et prævisa merita Christi, Deus nulli tale auxilium debebat, aut promiserat; nihilominus, stante merito Christi, et generali lege cum illo stabilita, non potest Deus ex se negare alicui adulto tale auxilium aliquo modo sufficiens, alias et esset infidelis in suis promissis, et injustus, non quidem respectu peccatoris, qui, dum talis est, nullum habet jus in se acquisitum (ut sic dicam), sed respectu Christi, cujus est proprium tale jus, propter quod semper tale auxilium in principio est mere gratuitum respectu ejus cui datur, licet respectu Christi præmium meritorum sit.

3. *Lex dandi omnibus hominibus auxilia sufficientia ad salutem, haud est absoluta.—Deus non omnibus infidelibus dat in effectu vocationem ad fidem.*—Dico secundo: hæc lex dandi omnibus hominibus auxilia sufficientia ad salutem, quoad auxilia supernaturalia, seu proximam vocationem ad fidem, per sufficientem ejus propositionem externam vel internam, actu dandam omnibus et singulis viatoribus adultis, non fuit absoluta, includens scilicet absolutam promissionem, sed sub aliqua conditione. Hæc assertio communiter recepta est, præsertim ab auctoribus primæ et tertiæ sententiæ, et aliis quos infra referam. Et per experientiam videtur evidens, quia quod Deus non omnibus confert, certe non omnibus absolute promisit, est enim fidelis et verax, et seipsum negare non potest: at vero experimento constat Deum non omnibus infidelibus dare in effectu proximam vocationem ad fidem, quia ad multos externa prædicatio non pervenit, et internæ revelationis nullum est indicium, nec affirmari potest sine fundamento,

quia, teste Paulo, ordinaria lex est, ut homines per externam prædicationem ad fidem vocentur: ideo enim interrogat ad Romanos 10: *Quomodo audient sine prædicante?* Et Actor. 14, et Roman. 1, cum vult ostendere Deum non omnino deseruisse Gentiles, nec reliquisse sine aliquo auxilio, non dicit interius se illis revelasse, sed per visibilia opera se illis manifestasse, et per generalia beneficia omnes ad se attraxisse; et eodem modo loquuntur Patres statim referendi. Confirmatur, quia multi sunt infideles quibus infidelitas ad culpam non imputatur, propter ignorantiam invincibilem, ut est communis sententia Theologorum cum D. Thoma 2. 2, quæst. 10, artic. 4; ergo illi nec exterius nec interius sunt vocati sufficienter ad fidem, quia si vocati essent et non credidissent, jam eorum infidelitas esset culpabilis.

4. *Conditio dandi auxilii ex vi promissionis, qualis sit.—Axioma: Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam, exponitur.*—Tertio, dicendum est hanc conditionem talem esse, ut non sit effectus auxilii dandi ex vi promissionis, sed aliquid aliud quod sine illo auxilio fieri possit, et nisi fiat, promissio Deum non obligat. Hanc assertionem satis declarant Doctores allegati in prima opinione, et inter eos apertissime D. Thomas locis ibi allegatis. Dicunt vero aliqui D. Thomam retractasse illam doctrinam 1. 2, quæst. 109, artic. 6, ad 2, et quæst. 102, art. 3, ubi axioma illud: *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam*, exponit de faciente quod in se est, per auxilium gratiæ, et per motionem divinam. Sed imprimis ibi D. Thomas formaliter non retractat priorem doctrinam, sed axioma illud, applicatum ad gratiam habitualement, de qua ibi tractat, dicit intelligendum esse de faciente quod in se est per auxilium gratiæ, quod est certissimum, quia ad gratiam habitualement nemo potest se præparare, nisi per auxilium gratiæ. Non docuit tamen ibi D. Thomas axioma illud, intellectum de primo auxilio supernaturali gratiæ, non posse habere verum sensum, nec etiam negavit conditionem, in eo postulata, esse tunc implendam ante illud primum auxilium: non enim potest per aliud supernaturale auxilium impleri, cum supponatur illud primum, nec per illud ipsum impleri potest, cum debeat supponi impleta, ut illud detur, sicut indicant ipsa verba: *Facienti quod in se est.* Imo, etiam in alio sensu, de gratia habituali vera est hæc pars assertionis cum proportionem servata. Nam eo modo quo verum est, facienti quod in se est, dari pri-

mam gratiam habitualement, illa conditio non impletur per ipsam primam gratiam habitualement, sed per aliam primam gratiam auxiliantem, ut in eisdem locis D. Thomas indicat, et infra ostendetur.

5. *Expenditur locus D. Thomæ 1. 2, q. 89, art. 6.*— Ulterius vero expendo celebrem locum D. Thomæ 1. 2, quæst. 89, artic. 6, ubi, de puero proveniente ad usum rationis sine auditu fidei, dicit: *Si seipsum ordinaverit ad debitum finem, per gratiam consequetur remissionem originalis peccati.* Interrogo igitur an loquatur de ordinatione in finem per conversionem perfectam et supernaturalem voluntatis in Deum, ut ultimum finem, vel de conversione aliqua honesta et naturali, sive in bonum rationis et honestum, ut Cajetanus, Victor., Medin., et alii exposuerunt, sive in Deum explicite et in peculiari cognitum, ut Capreolus et alii interpretantur. Primum dici non potest, quia illa conversio ad Deum supponit fidem, et in illo puero nondum supponitur fides, nec vocatio ad fidem, cujus signum est, quia, licet tunc non convertatur in Deum, sive in eo peccet, sive non, manebit infidelis tantum negative, etiam ex ejusdem D. Thomæ sententia. Si autem secundum dicatur, interrogo rursus an sensus sit, ex vi illius ordinationis ad debitum finem statim et immediate infundi gratiam habitualement et remitti peccatum sine alia meliori dispositione, vel statim dari tali puero auxilium supernaturale et vocationem ad fidem, qua possit se sufficienter ad gratiam justificantem præparare. Primum non potest attribui D. Thomæ, continet enim magnum errorem, quem ipse refutat in aliis locis allegatis ejusdem 1. 2; ergo oportet secundum amplecti: ergo, ex sententia D. Thomæ, illi puero facienti quod in se est ante vocationem ad fidem, datur auxilium supernaturale actualis gratiæ.

6. Quocirca in hoc loco explicando multum laborant Thomistæ: nam pro certo habent D. Thomam loqui de aliqua conversione hominis ad ultimum finem, quæ antecedit vocationem internam ad fidem: estque evidens ex ipso discursu D. Thomæ. Præmittit enim, primum quod tunc, id est in principio usus rationis, homini cogitandum occurrit, esse deliberare de seipso, ubi non de cogitatione fidei, sed de naturali loquitur, ut Cajetanus diligenter interpretatur; idque conatur ex ipsa naturæ inclinatione et propinquitate ad seipsum deducere. Nam si de cogitatione fidei D. Thomas loqueretur, et gratis ac sine ullo fundamento

id supponeret, et contra hypothesim procederet; nam tractabat de puero nec exterius, nec interius vocato ad fidem. Loquitur ergo de naturali cogitatione, et consequenter de ordinatione ad finem per naturalem actum voluntatis: nam conversio supernaturalis voluntatis supponit supernaturalem cogitationem in intellectu, ut idem divus Thomas, de eadem re tractans, docuit libro 3 contra gentes, capite 143, ration. 5. Hinc ergo difficilis valde redditur conditionalis propositio, quam statim divus Thomas subjungit: *Si seipsum ordinaverit ad debitum finem, per gratiam consequetur remissionem originalis peccati*; qua difficultate pressi, Thomistæ fatentur necessarium esse ut inter illam debitam ordinationem ad finem et infusionem gratiæ habitualement, intercedat alia conversio ex auxilio supernaturali gratiæ et fidei.

7. *Auxilium supernaturale non dari infallibiliter habenti priorem bonam ordinationem, sed frequenter ac sæpius ex divina liberalitate, statuunt.*— Quidam vero illorum dicunt auxilium hoc supernaturale ad hanc secundam conversionem non dari infallibiliter habenti priorem bonam ordinationem, sed pie credi frequenter ac sæpius dari ex divina liberalitate, et arbitrio. Indicat Bannes 2. 2, q. 20, artic. 1, dub. 2, ad 4. Sed responsio evacuat discursum D. Thomæ, quia, si puero habenti primam bonam deliberationem naturalem non semper et infallibiliter daretur vocatio ad fidem, possent multi habere illam primam deliberationem naturalem, et sic implere præceptum naturale convertendi se ad Deum, et manere in solo peccato originali, et postea peccare prius venialiter quam mortaliter, contra id quod D. Thomas conabatur ostendere. Et præterea vel repugnat divinæ provisioni quod multis tunc negetur auxilium gratiæ, licet faciant quod in se est, vel gratis dicitur quod multis et frequentius detur; non enim satis est dicere quod pie creditur, si absque fundamento creditur; ergo idem est de omnibus credendum. Et ita tandem fatetur Medina ibi; addit vero, quod non statim inspirabitur fides sic facienti quod in se est, sed post aliquod tempus a Deo dispositum, in quo etiam Deus non permittet hominem illum prius peccare venialiter quam mortaliter. Utrumque autem est voluntarie dictum, et præter intentionem D. Thomæ; si enim tandem recurrendum esset ad illam providentiam Dei, supervacaneus fuisset labor reddendi rationem, ex illo præcepto converten-

di se ad Deum, ut homo non peccet venialiter, donec de ultimo fine aliquo modo deliberet.

8. *Deum infallibiliter inspirare fidem puero statim ac recte deliberat.*— *Confirmatur ratione.*— Alii ergo tandem fatentur Deum infallibiliter inspirare fidem illi puero statim ac recte deliberat se ordinando in debitum finem naturalem; addunt vero illum non implere illam conditionem per vires naturæ, sed per auxilium supernaturale gratiæ. Dicunt enim puerum illum, in eo momento morali quo pervenit ad usum rationis, simul aut intra brevissimum spatium, duplicem illustrationem et internam motionem supernaturalem a Deo recipere; unam, qua excitat mentem illius pueri ad cognoscendum Deum naturali cognitione, et convertendum se ad illum affectu naturali perfecto in suo genere, quoad hoc ut se et sua in illum finem referat; quod si huic motioni divinæ puer consentiat, statim in eodem momento, aut paulo post datur ei alia inspiratio supernaturalis, qua possit credere in Deum actu supernaturali fidei infusæ, et converti in ipsum vero actu charitatis, cui inspirationi si obediat, statim justificatur. Ratio prioris auxilii est, quia homo tenetur præcepto naturali convertere se in Deum, ut finem naturalem; ergo ad providentiam Dei spectat in eo tempore et occasione dare illi auxilium sufficiens ad implendum illud præceptum, quia in statu naturæ lapsæ, non potest homo illud implere per facultatem naturæ, et convertendo se in Deum, et proponendo absolute placere illi in omnibus; ergo dat Deus tunc illud primum auxilium. Ratio alterius partis est, quia si homo cooperetur, ut debet, cum illo primo auxilio, jam facit quod in se est, non per solam facultatem naturæ, sed per auxilium supernaturale; ergo Deus illi non denegat novum auxilium, quo justificari possit, si velit; cui sententia videtur favere D. Thomas ad Rom. 43, sect. 10, ubi ait eos, qui non audierunt Evangelium, excusari posse a peccato infidelitatis per ignorantiam invincibilem, juxta verbum Christi Joan. 47: *Si non venissem, et locutus eis fuissem, peccatum non haberent*; et subjungit: *Si qui tamen eorum fecissent quod in se est, Dominus eis secundum suam misericordiam providisset, mittendo eis prædicatores fidei, sicut Petrum Cornelio, Act. 10. et Paulum Macedonibus, Act. 16*; et continuo addit: *Sed tamen hoc ipsum quod aliqui faciunt quod in se est, convertendo se scilicet ad Deum, ex Deo est movente corda ipsorum ad bonum, juxta id Thren.*

5: *Converte nos, Domine, et concertemur.* 9. Verumtamen qui sic exponunt, re ipsa incidunt in sententiam quam toto conatu reprobant, verbis paululum mutatis, quæ, in proprietate sumpta, aut vera non sunt, aut sententiam non variant, nec distinguunt. Explico singula: nam imprimis, juxta illam interpretationem, jam conceditur esse verum illud axioma: *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam*, intellectum de prima gratia proxime auxiliante ad fidem, id est, de prima inspiratione fidei infusæ; et cum dicant infallibiliter dari hanc gratiam facienti quod in se est, necesse est ut admittant certam legem et promissionem Dei, quia non potest esse aliunde consecutio infallibilis. Rursus, solum requiritur ut homo faciat quod in se est, in observatione præcepti naturalis, per actum utique moraliter bonum, et mere naturalem qui præcipi potest, et de facto præcipitur pro illo instanti usus rationis, ut ipsi supponunt, de quo nunc non contendimus. Deinde, consequenter loquendo, fateri cogentur de tali homine et tali actu omnia quæ ipsi contra Molinam objiciunt, nimirum Deum, ad inspirandum fidem tali homini, expectare bonum motum naturalem voluntatis ejus, et consequenter non dare illi gratis inspirationem fidei, sed merito prioris voluntatis, itemque ex parte hominis posse dari causam, cur huic inspiret fidem, et non illi, scilicet, quia hic conversus fuit in Deum naturali conversione, et non ille: solumque videntur hæc omnia excusari in illa sententia, quia illa conversio, licet in se sit naturalis, dicitur fieri per motionem præviam supernaturalem.

10. Quod autem hoc non excuset, probatur primo, quia hoc prævium auxilium non est per se requisitum ad actum, nec reddit illum meliorem quam ex natura sua sit; solum enim potest illud auxilium necessarium reputari propter fomitis repugnantiam, et alia impedimenta naturæ lapsæ: necessitas autem talis auxilii nihil refert ad meritum illius actus, vel ut sit dispositio aut præparatio ad supernaturale auxilium fidei, quod optime declaratur in puero proveniente ad usum rationis in natura integra; nam, si fingamus permansisse homines in statu integræ naturæ, nascerentur infantes sicut modo, et paulatim crescerent et ad usum rationis pervenirent. Ille ergo puer per vires naturales sine speciali auxilio posset, in primo tempore usus rationis, convertere se in Deum, finem naturæ, et implere legem naturalem, tunc obli-

gantem, ut supponitur; ergo illi sic facienti quod in se est inspiraretur fides; ergo in illo statu poterat homo mereri fidem, et ita nunc non esset gratuitum donum Dei. Probatur consequentia, quia tunc ille puer non minus bene operaretur per vires naturales, quam nunc dicatur operari per illud auxilium: ergo si iste meretur aliquo modo vocationem proximam ad fidem, etiam ille eandem suis viribus mereretur, quia, si actus non est melior, parum refert quod per tale auxilium vel sine illo fiat, vel e contrario si in natura integra non potest concedi tale meritum per actum naturalem, et jam nunc non est admittendum ratione illius auxilii, quod propter vincenda tantum impedimenta datur: vel denique, si in utroque casu admittatur illa propositio: *Facienti quod in se est, sine merito, vel propria dispositione ad fidem, evacuantur omnes objectiones cap. 13 propositæ contra communem doctrinam.*

11. *Obiectio.* — *Retorquetur.* — Secundo obiectio, quia sine sufficiente fundamento asseritur dari auxilium supernaturale ante inspirationem fidei, nam imprimis, quod supponitur de præcepto naturali dilectionis Dei super omnia, obligante pro illo primo instanti usus rationis, non solum incertum est, sed etiam communiter non recipitur etiam ab ipsis Thomistis, qui, licet admittant præceptum, satis impleri dicunt deliberando de honesta vita seu de sequendo bono rationis, et proponendo secundum rationem vivere, proposito elicitio viribus naturæ eo modo quo potuerit fieri, sive absolutum sit, sive conditionatum, id est, quantum in se fuerit, quod sine speciali auxilio gratiæ fieri potest. Unde D. Thomas in 1. 2, in corpore, art. 6, quæst. 89, solum dixit obligare tunc naturale præceptum ordinandi seipsum ad debitum finem, quod Cajetanus exponit satis impleri *collocando finem suum in beatitudine imperfecte et inchoative, apprehendendo bonum confuse, prout ætas illa consuevit*, quia cogitatio quæ tunc occurrit primo non est de Deo, sed deliberandi de seipso, ut D. Thomas voluit, quæ cogitatio naturalis est, et naturali modo occurrit, ut Cajetanus exposuit, et propositum voluntatis de illo objecto confuso, et cum dicta limitatione haberi potest per naturales vires: unde nullum fundamentum relinquitur ad ponendum tunc illud prævium auxilium supernaturale, et multo minus ad asserendum dari infallibiliter omnibus. Ubi est enim lex vel promissio absoluta talis auxilii? Nam sine illo potest non peccari

mortaliter in illo primo tempore usus rationis, ut declaratum est, et hoc est satis ad providentiam Dei.

12. *Auxilium quo sensu dicatur supernaturale.* — Ulterius vero, esto detur illud auxilium, interrogo quo sensu dicatur supernaturale: nam ex parte objecti quod tunc occurrit ad deliberandum de illo, non est supernaturale, ut supponitur, quia tale auxilium est ante revelationem fidei, et ideo cum tota illa cogitatione et omissione debitæ conversionis manet infidelitas negativa, ut auctores illius sententiæ fatentur. Deinde non est auxilium illud supernaturale ex parte actus propter quem datur, quia ille etiam actus naturalis est, et non indiget aliquo principio supernaturali; ergo solum potest supernaturale vocari, quia est gratuitum, et naturæ non debitum, in se tamen naturale quod est, solumque per majorem excitationem intellectus, intra ordinem cognitionis naturalis, vel aliquem similem affectum dari potest, juxta dicta lib. 1. At vero hoc satis non est ut tale auxilium sit principium meriti de congruo, aut dispositionis ad primam gratiam primi auxilii supernaturalis, ut prior discursus ostendit quod dici non potest, et statim latius dicam. Ergo ex eo quod tale auxilium præcedat ad faciendum quod in se est, non vitantur incommoda objecta contra primam sententiam; vel si in illo casu, sine illis incommodis et sine merito illo vel propria dispositione, datur inspiratio fidei facienti quod in se est, servando legem naturæ, eo modo quo potuerit, per vires rationis, cum communi Dei influentia, sine ullo fundamento meriti vel dispositionis propriæ, concludimus ergo conditionem, inclusam in illa promissione facienti quod in se est, implendam esse ab homine sine auxilio propriæ supernaturali in suo esse et ordine, quod tunc nobis satis est, sive juvandus sit homo per auxilium ordinis naturalis, sive non, quod statim amplius expendemus.

13. *Non est necesse ut Deus det homini primam auxiliantem gratiam supernaturalem.* — Quarto, addo conditionis complementum non esse necessarium ut Deus det homini primam auxiliantem gratiam supernaturalem. Probatur, quia Deus interdum et sæpissime dat illam transgredientibus legem naturalem, et magnis peccatoribus; sic enim *cujus vult miseretur et quem vult indurat*, Rom. 3, eodemque modo dicit per Isaiam, cap. 65: *Inventus sum a non querentibus me*, etc. Et hac ratione illa conditio, Facienti quod in se est, non solum

non erit meritum, vel dispositio, ut statim dicam, sed nec dici poterit conditio necessaria ad obtinendum talem gratiam, seu conditio sine qua non obtinetur, quandoquidem sine illa multis et frequentissime datur, ut late probat Augustinus, lib. 1 contra duas Epistol. Pelagian., cap. 49, et libro de Gratia et liber. arbitr., cap. 6, expendens hanc Dei gratiam in vocatione Pauli, eandemque in seipso recognoscit, lib. 4, 5 et 7 Confession., per multa capita. Ratio vero est, tum quia hoc modo liberalitas divinæ gratiæ maxime ostenditur, quam suis operibus Deus manifestare voluit, juxta illud Rom. 9: *Ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ*; et illud ad Ephes. 1: *In laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto filio suo*. Tum etiam quia in hoc maxime omnipotentiam suam manifestat, quod voluntatem hominis quantumvis rebellem et aversam, quando voluerit, et ubi voluerit, potest ad se convertere, ut Augustinus dixit in Enchirid., cap. 100.

14. *Nec etiam necesse ut homo prius bene utatur sua libertate.* — Ut ergo Deus gratiæ suæ auxilium alicui conferat, non est necessaria conditio, ut homo ipse prius sua libertate bene utatur. Potuit tamen esse conditio illa necessaria, ut Deus teneatur talem gratiam dare ex vi legis, seu promissionis et pacti cum Christo transacti, quia non est factum, nisi sub tali conditione, ut ostensum est; ergo sicut, illa non impleta, non obligat, ita si impleatur, obligat, non homini facienti quod in se est, sed Christo: et ideo fortasse non sine causa dictum non est illo axiomate: *Facienti quod in se est, Deus dat gratiam*, ne forte putaretur etiam posse converti, dicendo, non facienti quod in se est, Deum non dare gratiam, quod omnino falsum est, sed tantum dictum est Deum non denegare gratiam facienti quod in se est, quia justissime potest denegare illam non facienti quod debet, et sæpissime id facit; et e converso misericorditer eam donat facienti quod in se est, et infallibiliter propter Christum, et respectu ejus etiam juste.

15. *Ante fidem homo non mereri ullo modo vocationem ad fidem.* — Quinto, dicendum est ante fidem, etiamsi faciat homo quod in se est observando legem naturæ, non mereri ullo modo, vel de condigno, vel de congruo, vocationem ad fidem, neque se disponere positive ad recipiendum primum supernaturale auxilium, seu vocationem ad fidem. Ut distincte probetur assertio, advertendum, ante primam vocationem ad fidem, posse hominem

facere quod in se est duobus modis: scilicet, vel per solas vires liberi arbitrii, vel per aliquam præviam gratiam ordinis naturalis: ideoque utroque modo sigillatim probanda est assertio. Et de primo quidem supponimus, cum dicitur homo facere quod in se est, per solas vires liberi arbitrii, non excludi generalem concursum, et providentiam Dei debitam causis secundis, secundum communem cursum et legem naturæ; sine hac enim nihil potest homo operari. Excluditur ergo omne speciale gratiæ auxilium, sive naturalis ordinis sit, sive supernaturalis. In quo sensu efficaciter probatur assertio argumentis factis in c. 13, quia sententia Massiliensium non alia ratione reprobata est, nisi quia ex parte solius liberi arbitrii ponebat aliquod meritum primæ gratiæ. Nec oportet distinguere de merito condigni vel congrui, quia illi, ut vidimus lib. 1, de merito imperfectissimo loquebantur, et interdum etiam nomen meriti non admittebant; quia vero dicebant gratiam non liberalissime dari, sed per modum retributionis, intuitu humani operis, eorum sententia rejecta est.

16. *Verificatur assertio.* — Et propterea non solum sub nomine meriti, sed etiam sub ratione propriæ et moralis dispositionis illa pars assertionis certissima est; tum quia vix potest a ratione propriæ dispositionis aliqua ratio meriti separari; tum etiam quia moralis dispositio est magna ratio inducendi formam ad quam est dispositio, et quamdam rationem debiti secum affert, atque ita gratiæ rationem dimittit, aut certe destruit: nam quod per proprias dispositiones obtinetur per opus proprium comparatur. Unde si opus ipsum non sit gratia, seu ex gratia, quod sic comparatur absolute est ex operibus, et sic tollit rationem gratiæ. Nec enim vitatur sententia Semipelagiana, dicendo non omnibus dari gratiam propter similem dispositionem, quia nec ipsi Massilienses hoc dicebant, ut supra etiam vidimus. Neque permitti potest ut vel in uno tantum homine ratio gratiæ destruat, ut destrueretur dicendo aliquem salvari, et non ex gratia, seu (quod idem est) suis operibus inchoando, salutem suam merendo, aut se disponendo suis viribus ad primam gratiam.

17. *Confirmatur.* — Potestque hæc pars confirmari ex illis fidei principiis: *Quid habes quod non accepisti*, 2 Corinth. 4; *Sine me nihil potestis facere*, Joan. 15. Hæc enim et similia intelliguntur de operibus conferentibus ad æternam salutem; omne autem meritum et